

DISSERTATIO EXEGETICO-THEOLOGICA
ANIMADVERSIONES QUASDAM CIRCA BIBLICAM
DE JESU CHRISTO IN CÆLUM SUBLATO
HISTORIAM, SISTENS,

QUAM

CONSENSU MAX. VEN. FAC. THEOL. IMP. ACAD. AB
PRÆSIDE

Mag. GUSTAVO GADOLIN,

*S. S. Theol. Doct. Prim. Theol. Prof. Archi-Præp.
de S:to Wolodimiro in IV Classe Equite,*

PRO CANDIDATURA THEOLOGICA

PUBLICÆ CENSURÆ MODESTE OFFERT

CAROLUS JOSEPHUS ESTLANDER,
Phil. Mag. Ostrob.

In Auditorio Theol. die I Novembr. a. MDCCCXXIII.

h. a. m. s.

ABOÆ, Typis FRENCKELLIANIS.

AD SCHOLAM TRIVIALEM VASENSEM

CONRECTORI

Mag. JAC. JON. ESTLANDER.

d. d. d.

fraterna pietas.



Die Wahrheit ist in Gott, uns bleibt das Forschen;

JOH. V. MÜLLER.

Vitam pro delictis humani generis expiandis cruci adfixus profuderat Jesus Christus, Dei filius a), Deo nos reconciliaturus, atque victoriam animi e corpore, seu naturæ substantialis e dependente illa nobis comparaturus, eoque summum Dei erga homines revelaverat amorein. Victoriam vero hac sua morte reportaverat pro mundo invisibili, cum in hac terra victoria ejus clades erat; receperat enim sepulcrum examinatum corpus, simulque, ut videbatur, evanuerat omnis, qua regnum his fundaretur terris, divina vis potentiaque. Quis jam ejus loco opus ad finem perduceret? Liberatio Israelis Fidei peracta, re tamen non nisi spes videbatur inanis. Procedit tum ex improvise intra trium dierum spatium vitæ restitutus b) e Sepulcro Christus, devicta morte, devicto te-

A

ne-

-
- a) Wer hätte, vor seinem Kreuze stehend, diesen Silberblick der Menschheit nicht wahrgenommen, und sich davon nicht ergriffen und erhoben geföhlt? Wer hätte nicht mit jenem Hauptmann gesagt: "Wahrhaftig dieser wahr Gottes Sohn" (Matth. XXVII: 54)?
De Wette Christl. Sitten-Lehre, Berl. 1819, Th. I. p. 198.
- b) Johannes contendit Jesum ipsum vitam recepisse, *Ev.* II: 19, 399; X: 17, 18, cet; ceteri vero Evangelistæ & Apostoli Deum sive Patrem vitæ restituisse eum, *Act.* II: 24; XIII: 30; *Rom.* VI: 4; *Eph.* I: 19, 20; *2 Cor.* XIII: 4; *1 Petr.* III: 18.

nebrarum & caliginis duce, regni dæmoniacy præfule, relictoque sepulero conspiciendum se præbet Apostolis, quos elegerat, reliquisque Discipulis, ad fidem addens eis, quæ non conspiciuntur, habendam, experientiam eorum, quæ sensibus percipiuntur, eosdemque cum eis miscens sermones, quos ad commendandam βασιλειαν Θεου eisdem antea exhibuerat, sublimis tandem inspicientibus suis in cœlum abit.

Hujus historiæ veritatem, intimis animi sensibus percipiendam paucis exponere visum est. Nec actum nos esse acturos putavimus, si hanc doctrinam, quantumvis frequenter ab aliis tractatam, neque ullam amplius novitatis commendationem præ se ferentem, denuo sub examen vocaremus. Ne autem limites libello circumscriptos excederet disputatio nostra, in spatio dogmatis hujus campo non longe lateque excurrendum, sed in finita quadam ejus parte subsistendum duximus. Constituimus igitur, exposita primum ipsius facti narratione, qualem apud Evangelistas eam invenimus, ipsorumque verbis conceptam, præcipuas dubitationes, quas in hujus tantæ rei historiæ movere amavit tempus, luxurioso virium æstu turgidum, vanoque quodam mentis suæ lumine occæcatum, pro viribus solvere conari. Moderatior, quæ hodie vivitur, ætas, ore verecundior, cœli timentior, sive monitricibus religiosius philosophantium vocibus experrecta, sive inaniter sciscitando fessa, in revelata quoque religionis Christianæ dogmata olim quasi συμβουλος Θεου debacchans, imperiosius jam res cœlestes inquirere sensim desivit. Unde nobis condonatum iri speramus, difficilem hanc tortuosamque viam ingresses esse nos, quæ superata etsi a multis coryphæis & planior reddita sit, satis tamen retinuit asperitatis, quæ abstertere ingredientem, præsertim juvenem, aut ingressum aliquando eum, in devia deflectere facillime possit. Remoturum enim se involucria omnia, quibus tecta & abdita mysteria latent, quis profiteri audebit, quis recludere sanctissima penetralia suscipiet? Arduæ sane indaginis opus, alexæ plenum. At magna altioris argumenti gravitas & sperata B. L. indulgentia periculum facientibus nobis veniam viresque dabit.

Ut Evangelica adscensionis Jesu historia perficiatur, adendus præsertim videtur Lucas rem in Actis Legatorum copiosius exponens, additis e cæterorum Scriptorum commentariis momentis, quæ ad narrationis vel supplementum vel fidem proxime spectant.

Exorditur vero alterum suum librum his fere verbis Lucas c), v. 1. "Priorem jam librum d), Theophile, (ait) conscripsi, de omnibus quæ primum fecit docuitque Jesus, 2, ad eum usque diem, quo, postquam instituerat ad demandatum munus & Spiritus Sii donis ornaverat Apostolos, quos elegerat, in cælum sublatus est; 3, Quibus, superato crucis supplicio, vivum se exhibuit, quod testantur indicia indubitata e) quamplurima, ab Ipso edita per quadraginta dies, quorum

A 2

spatio

c) In priori suo libro propositum sibi habuit Lucas colligere memorabilia Christi, quæ in his terris ante mortem is sive egerat, sive docuerat: h. e. facta & dicta, aut quasi *απομνημονευματα* Ejus, & in posteriori hoc seriem jam persequitur narrationis, filum retexendo, historiam, ubi prior pars deliverat, obiter tantum nonnulla recentiora tangens, excipit & luculentius exponit, mox dein ad res gestas Legatorum Messæ referendas festinans.

d) *λογος*-liber; sic apud profanos Scriptores sæpissime; v. gr. *Herod.* I: 184; *Xenoph. Cyroph.* V: 13; VIII: 1, 2; *Ejusdem Anab. Cyri* II: 1, 1; *Ejusd. de re Equestri* XII: 15, cet. sic quoque apud Hebræos לִבְרֵךְ adhibetur de libro, eodemque historico *1 Chron.* XXIX: 29, ubi *LXX λογον* vertunt.

e) *τεκμηρια*, indicia indubitata, *Sap.* V. 11; *Xenoph. Mem.* I: 1, 2; esse heic de adparitionibus J. C. non de miraculis intelligenda ex addito verbo *σπταμενος* facile patet: qua tamen posteriori significatione esse sumtum a *Cel. Schleusnero* (*N. Lex. Gr. Lat.* in NT.) valde miramur, locum nostrum sic vertente: "quibus etiam se præbuit vivum post mortem suam & multis argumentis (miraculis) veritatem resurrectionis suæ comprobavit." *Rosenmüllerus* (Schol. in NT.) dubius, ad nostram tamen sententiam, ut videtur, inclinat. Quidquid fuerit, constat *τεκμηριον* significare certum, infallibile & indubitatum veritatis signum; vocem igitur, quæ rem definendam aptius & melius exprimeret, vix adhibere potuisset Lucas.

spatio se conspiciendum iis præbens, eos quæ regni Dei sunt edocuit. 4, Hos aliquando congregatos iussit *f*), ne Hierosolymis discederent, sed beneficium patris nomine promissum expectarent, de quo (ait) a me ante accepistis. 5, Nam Johannes quidem aqua tinxit homines, at vero vos dotibus S. S. intra proximos hos dies tingemini *g*). 6, Hi igitur conjunctim eum interrogant: "Domine, jamne regnum genti Israëliticæ restitutus es *h*)"? 7, Ille vero respondit: "Vestrum non est tempora nosse aut statos dies *i*), arbitrio Patris reservata. 8, Sed dotibus ad vos venientis S. S. eximiis instru-

- f*) v. 4. Jam de eis agitur, quæ ipso ascensionis die egerat Jesus.
- g*) βαπτίζεσθαι (LXX ad Jof. XXI; 4) immergi, aqua profus tingi; metaphoricè exprimit copiam & abundantiam alicujus rei; penitus imbuti, inundari re quadam.
- h*) ἀποκαθίστανειν, h. l. non vertendum: rem in pristinum & meliorem statum restituere; quæ notio locum haberet si τὴν βασιλείαν τοῦ Ἰσραὴλ dictum fuisset. Jam cum dativo constructum notat reddere, pristino domino restituere. Respicit forsitan Auctor ad *Michæ* IV: 8. Iterum Cl. *Schleusnerum* habemus nobis adversantem, qui in Lex. suo vertit: "num hoc tempore in meliorem conditionem rediges regnum Israël?" - - Admittere tamen verba nostram quoque explicationem ingenue fatetur, faventibus ei quoque *Heinrichs*, l. c, *Rosenmüllero* l. c, *Luthero*, qui in versione loci germanica transfert: "Herr! wirst du auff diese zeit wieder aufrichten das reich Israel?" atque *Augusti & de Wette* — die Schriften des N. T. n. überfetzt — vertentes: "Herr wirst du in dieser Zeit wiederherstellen das Reich Israels?" Conf: præterea *Polyb. Hist.* XVII: 9; *Diod. Sic.* XX: 32; *Joseph. Ant. Jud.* XXV: 15.
- i*) χ. η. κ. majoris tantum vis & emphasis causa. Videtur tamen quibusdam interpretibus interesse his differentiam per voc. η quoque notatam. Χρονος igitur moram (aufschub) significare putant (coll *Apoc.* X: 6); καιρος tempus opportunum, conveniens, filix: hujusque probandi causa proferunt locum *Demosth. Olynth.* III; atque ex *Hippocr. Sect.* I. Nostro tamen partibus favent *Heinrichs* l. c, & *Lutherus*, l. c, *Augusti ac de Wette*, vertentes; Zeit oder (und) Stunde.

struemini, ut testes mihi sitis non Hierosolymis & in universa Judæa atque Samaria solum, sed per omnes, imo ad ultimas usque terræ oras k).

Talibus igitur sermonibus, aliisque sine dubio pluribus, cum discipulis per integros fere quadraginta dies post vitam recuperatam passim habitis, eduxit eos Jesus Luc. Ev. XXIV: 50, ex urbe in montem Olivarum, ea via qua itur Bethaniam l) & sublatis manibus m) bene illis precatus est n), Ev. XXIV: 51,

k) Confr: *Marc. XVI: 15*; (*παση τη κτισει*); & *Matth. XXVIII. 19*; (*παντα τα εθνη*).

l) *εως εις* B. non vertandum *usque ad*, sed *versus*. "Nicht bis Bethanien — dies lag weiterhin am entgegengesetzten Abhang des Ölbergs — sondern bis gegen (*εις*) Bethanien, also bis auf die Höhe des Bergs, von welcher aus man schon Bethanien sehen konnte." *Paulus Comment. über d. N. T.* 2te Auf. Th. III. p. 970. Quo autem certius de hoc loco iudicium feratur, monendi sunt Lectores, utramque voculam *εως* & *εις* professionem *ad*, locum *versus*, itionem *aliquorsum* qualemcunque haud raro notare, non semper quo perveneris, sed qua directa sit via. Sic. e. gr. *Jer. L. 5*; *ךך ואלה ירון* interrogabunt qua via eatur Zionem, LXX *εως* pleonastice addidere; *Eως τον Σιον ερωτησους την οδον*, & *εις* Deut. I: 40, Vos autem vertite vos, & proficiscimini desertum *versus* *המדבר* *εις την ερημον*.

m) *επαυξεν τ. χ.* sublatis manibus ad deos cœlestes precari vetus apud antiquissimos gentes mos e. gr. *Gen. XIV: 22*. "Παντες ανθρωποι αναθεινομεν τας χειρας εις τον ουρανον ευχας ποιουμενοι" inquit *Aristoteles* in libro *de Mundo*, & apud *Homerum* nemo fere nisi *χειρας ανασχων*, aut *ορεγων εις ουρανον αστεροεντα* preces fundit. Confr: *Potter* *Griech. Archæol.* B:de II. p. 560. *Köppen* *Erkl. Anm.* zum *Homer* atque *Schol.* ad *Hom.* II. A: 351, & I: 564, *Lambinus* ad *Horat.* *Od.* III: 23, I. & *Engel* *Ideen* zu einer *Mimik.* Th. I. p. 170.

n) *ευλ. τωα*, fausta quævis feliciusque cui adprecari. Nec si valedicendi notio (coll. *ברך*) heic tibi magis arriscent, recusamus. Vide *Pott* in *Contin. Op.* *Kopp.* Vol. IX. Exc. I. p. 269 sqq.

51, Act. I: 9, & mox cum preces super eos fudisset, ipsis adspicientibus in altum sublatus o), nube eum suscipiente & e conspectu illorum auferente. Quem quum oculis in cœlum fixis, Act. I: 10, attoniti, sursum abeuntem, donec evanuerat, spectarent, duumviri iis adstiterunt, candidis vestibus induti, v. 11, & eos his verbis allocuti sunt: "Quare statis, Galilæi, cœlum versus intuentes? Hic Jesus qui jam sublatus in cœlum vos linquit, eodem modo redibit, quo nunc eum spectastis in cœlum abeuntem, Ev. XXIV: 52; Act. I: 12. Tum illi

o) Ad stipulari non possumus Cl. Paulo, l. c. p. 961, dicenti: "Er sprach mit aufgehobenen Händen (*επαραις τας χειρας αυτου*, Luc. XXIV: 50.) und so dass er überhaupt vor ihren Augen *erhabener* erschein (*βλεποντων αυτων επηρθη*) exaltabatur, altior, augustior videbatur, Act. I: 9; (coll. *לָבַע* Deuter. XXVIII: 43; 2 Sam. V: 12), über sie ein Dankgebet und feyerliche Abschiedsworte (*ευλογησας αυτους* Luc. XXIV: 50). Indem er auf diese Weise segnend verabschiedete, (*διεστη απ αυτων*) -- entzog ein Gewölk ihn den Blicken der Zuschauenden." -- Ostendat primum vir cæteroquin sagacissimus, acutissimus, esse *επαραις τας χειρας* synonymum *τω επηρθη*. Non enim jam sufficit dixisse sed probasse. Repugnat præterea vocabuli *επαρειν* adivi forma, qua in N. T. dicitur quis *επαρειν οφθαλμους, χειρας, κεφαλην, φωνην*, vide *Schleusneri Lex.* h. v. Sed passivè vel in media forma idem vocabulum tam i N. T. quam apud profanos Græcæ linguæ scriptores, ubi prima seu physica significatio non admittenda est, indigitat superbi quid & fastuosi, 2 Cor. X: 5; Rom. III: 5; Xenoph. Mem. III: 5, 4; Polyb. I: 20; Nisi igitur vim hinc Lucæ vocibus inferre malimus, explicandæ eæ sunt ex *τω ανεφερετω εις τον ουρανον*, quo eandem rem exponit in Ev. XXIV: 51; & ex *τω ανεληφθη*, qua utitur Marcus XVI: 19. *Αναληψιν*, quoque *reditum animi ad Deum*, s. prescius ad etymum, quod *Deus animum post corporis mortem ad se receperit*, s. *resumerit*, dicit Antoninus L. IV: §. 14. vide ibi notas *Gatakeri* p. 136, in *Opp. crit.* ad Marci Antonini *de rebus suis* Libb. XII, Traj. ad Rhe-num 1698.

illi Dominum Jesum supplices venerati p) & magna lætitia adfecti Hierosolymas redierunt a monte, qui dicitur Olivarum, Hierosolymis vicino, neque nisi Sabbathi via inde distante q), ibique Ev. XXIV: 53, Act. I: 13 asidue partim in templo, partim in locata aliqua privatarum ædium superiore parte verstantes r), hymnis Deum & gratiarum actione celebraverunt. Sic

p) Apostoli postquam Jesum viderant in cælum reverti, certissime sciebant eum ex cælo descendisse & revera Messiam esse; hancque fidem testabantur divinum ei cultum exhibentes, eumque adorantes.

q) Act. I: 12; Ev. XXIV: 52; σαββατου εχον (pro απεχον) οδον: τοσουτον ον το διαστημα, οσον δυνατον Ιουδαιον περιπατειν εν σαββατω: talem Cod. Petavianus 3 voci Ιερουσαλημ posteriori sc. loco, in hoc commate obvienti, subnexam opportune habet notam. Nihil de hac re in legibus Mosaicis præcipitur — nisi forsitan, quod interdictum erat ne quis mercede conductus aut nuntius sabbatho iret. Subtilitas vero Rabbiorum (forsan ab Exod. XVI: 29; Num. XXXV: 5; confir J. D. Michaelis Mof. Recht. Frankf. am Mayn 1775—80. Th. IV. p. 124 sq.) bis mille cubitos vel totidem passus simplices (h. e. mille passus geometricos sive stadia circiter septem) sabbatho iter facientibus concedit, (vide Joh. Buxtorffii, Patr. Lex. Chald. Talmud & Rabbin. voc. שבת); quod Christi jam temporibus in itineris Sabbathici abierat mensuram. Distantia montis oliveti ab urbe varie definitur, aliis scil. (Syro v. c. interprete, qui montis locum editiorem vel ejus regionem remotiorem forsitan respexit), septem stadiorum, aliis sex (v. c. Josepho, qui B. J. Lib. II: 2, §. 3, Titum Vespasianum sex ab Hierosolyma stadiis castra in oliveto posuisse, & L. V: 2, §. 3, decimam Legionem Titum jussisse, ut in monte Olivarum, κατω το Ελαιων καλουµενον ορος, ubi sex ab urbe stadiis abesset, castra metaretur); aliis quinque (confir idem Josephus Ant. Jud. XX: 8, §. 6, radices sine dubio montis spectans).

De Sabbathi itinere, confer quæ colligit ad h. l. Wolfius in Curis Philol. & Crit. ad. N. T.

r) Luc. XXIV: 53, & Act. I: 13. Nam non in templo solum, scilicet sc. horis, sed & in υπερωις precari & gratias agere Deo solitos judæos notissimum est. Unde patet Lucam sibi minime contradicere, altero loco το ιερον, altero το υπερωιον commemorantem.

Sic Dominus quidem, finitis suis colloquiis cum illis (*μετα το λαλῆσαι αυτοις* Marc. XVI: 19. s) in cœlum sublatuſ est, & ad dexteram Dei confedit. Illi vero ad Christi mandatum egreſſi Marc. XVI: 20, ubique præconio ſuo doctrinam Chriſtianam divulgarunt, ipſo Domino laboribus eorum præſentem ſeſe teſtante, miraculisque continuis doctrinæ veritatem confirmante.

En hiftoriam adſcenſus, e ſcriptis Lucæ Marciſque conſignatam, rei quidem per ſe plauſibilis & ad honorem numini, dignis merita præmiis adſicienti, habendum, ad commovendos hominum animos & ad præclara quævis ſentienda peragendaque incitandos efficaciffimæ, dum per ſe ſpectatur, at vero impeditiffimæ & ad ſpinofiffimas quæſtiones nos ducenſis ſi ad inveſtigandam ſollertius & rimandam viam ac rationem, quomodo ea potuerint evenire, devertere maluerimus. Sed voluerunt multi, in rerum cauſas & origines inquirentes ſtudioſius, in legendis monumentis ſacris haudquaquam adquietere iis, quæ a majoribus ſunt tradita, ſed altius penetrare ſtudentes, propriam ſibi quaſi ſternere viam: unde accidit, ut & in definiendo modo quo in cœlum evectus ſit J. C., allaboraverint, variasque ejus explicandi vias inveniffe ſibi viſa ſit interpretum induſtria. Quas quidem uti præterire omnino contra inſtituti noſtri rationem foret, ita largiori diſputatione tractare omnes & ſingulas, ultra præſcriptos nobis limites nos duceret longiffime; ſed erimus eo breviores, quo plura recentioribus annis de graviffima hac re ſint in utramque partem prolata. t).

In

s) Eſſe utique genuina, quæ in calce Ev. Marci c. XVI: 9—ſin. leguntur, nec temere proſcribenda, putamus, auctoritate nixi viro- rum de hiſce rebus meritiffimorum. Conſ. Schott Opp. exeg. crit. dogm. Jenæ 1817, p. 129. ſqq.

t) Vide quæ *Bretſchneider* System. Entwick. a. i. d. Dogm. vorkom. Begriffe. 2:te aufl. p. 581. ſqq. de hacce materie Scribentium citat nomina ſcriptaque, Quorum quod non niſi minimam partem inviſendi nobis fuerit occaſio data, dolemus.

Vitio nobis non vertetur, nos, ne in immenſam molem creſce-

In eo omnes fere adversarii conveniunt, ut objiciant, totam hanc narrationem, quippe quæ non nisi a Luca relata sit, fide historica destitui. Sic ex. gr. *Fragmenta Guelph-rbyтана* p. 256; & liber *Die Wunder des A. und N. Testament* p. 124, contra historię nostrę veritatem opponunt, tam Matthæum quam Johannem, Apostolos ambos, eosdemque testes Jesu rerum oculatos, hanc rem filere, hincque falsam omnino putant historiam, utpote narratam non nisi a teste aurito Luca, nam Marci fidem infringunt, qui eam ejus libri partem, ubi Jesu adscensus commemoratur, integram & intemeratam non mansisse volunt. At ne sic quidem minui putamus historię fidem, etiam si quoque concesserimus, Lucam esse unicum hujus facti Scriptorem genuinum. Notum enim est omnibus, minimam quidem partem auctorum classicorum, in Latio & Græcia olim viventium, rebus gestis, ab ipsis commemoratis, interfuisse; nihilominus testium fide dignorum auctoritatem a quodam postero adsecutos esse & hodie apud justos omnes censes habere. Si enim, quæ a rerum in summa antiquitate gestarum scriptoribus referuntur, eas solas veras censeremus, quas ipsi o-

B

culis

ret opella, præterisse tam veterum Prophetarum effata, adscensum Christi forsitan spectantia, *Pf.* CX: 1; *Ezech.* XI: 23; *Zach.* XIV: 4. . . & cet, quam seriorum Judæorum de eadem re sententias. Quid de hac re scripserint Judæi qui scire voluerit, poterit adire *Cel. Schwætgenium* in horis Hebr. & Talm. in N. T. T. II. p. 569. 199.

Parallela hujus historię, tam a V. Testamento, qualia *Henochi Gen.* V: 24; & *Eliæ 2 Reg.* II: 3—13; quam e profanis quoque ceteræ antiquitatis scriptoribus, qualia *Hom. Il.* 7: 380, s; *Odyss.* 8: 561, 199; 0: 250. s; *Ejusdem Hymn. in Venerem v.* 203, 199; *Hesiod. Theog.* 986, 199; *Horat. Od.* I: 28, 8; III: 3, 15. s; *Ovid. Fast.* II: 495; *Cic. de Nat. Deorum* II: 24, cet; *Liv. Hist.* I: 16; *Flor.* I: 1; *Sueton. Vit. Aug.* 100, *Dion. Halik.* II: 57; *Diod. Sic.* V: 51; cet. esse volunt adversarii nonnulli, negleximus, eo potius, quo diligentius rem tractaverint *Cel. Paulus* in commentatione sæpius laudata *Tom.* III. p. 972. 199, & *Henke Magazin &c* 6te Bide p. 194. 199.

culis suis viderunt, auribus perceperunt, maximam historiæ veteris partem collapsuram, quis non intelligit? Nec ulla adest ratio idonea, ob quam Lucæ hæc narranti, fidem denegemus. Statim namque in libri sui limine adseverat, se, omni adhibita diligentia, quæ a Christo peracta sint, perquisivisse, atque a testibus oculatis relata accepisse, quæ memoriæ retulerit, Ev. Cap. I: 1—4. Et præterea a nobis impetrare non possumus, ut concedamus cæteros Evangelistas rem tacuisse. Esse enim ultima postremi capituli Marci commata genuina, ex scriptis in nota r) citatis colligere licet. Restat itaque genuinus nobis Marcus, præter Lucam testis.

Quod dein Matthæum adinet, non quidem expresse rem narrat gestam, at digito tamen monstrasse eam videtur, præfertim cap. XXVIII: 20, ubi se perpetuo cum discipulis mansurum promittit Jesus, quæ verba nullum alium habere sensum poterunt, quam hunc (verbis utor Cl *Heinrichs*) "etiamsi separanda sunt sodalitiis nostri vincula dulcissima, mihi que relinquenda terra, tamen &c." u) Alia præterea multa in commentario suo prætermisit Matthæus a cæteris Evangelistis relata, quorum veritatem negare absurdum esset.

Johannes porro, qui & ipse *αυτοπτης*, quique rem sibi bene notam habere debuit, ascensionem silentio præterisse dicitur; nobis vero ille confirmasse eam videtur. Ex *Eusebii Hist. Eccl. Lib. III: 24*, notum, scripsisse Johannem Evangelium suum reliquis Evangelistis serius, valde igitur est proba-

u) Confr. *Heinrichs* l. c. p. 296. Sic & *Liljethal*. Guthe Sache d. offenb. Th. XVI p. 1473, "Matthæus schweigt demnach nicht gänzlich von Christi Himmelfarth; indem die Verheissung, das er bey ihnen bleiben wolle, in der That dieses in sich schliesst, das sie ihm in Kürzen nicht mehr sichtbar würden bey sich haben. Umständlicher von diesen grossen Begebenheiten zu reden, die damals noch in frischen Andenken war, fand er nicht vor nöthig."

babile, eundem horum scripta ante oculos habuisse, iis parapomēna quædam subjunctorum. Perlectis igitur illorum scriptis, pro veris agnovisse putandus est omnia, saltem majoris momenti, quæ in eis referuntur, ubi nihil eorum narratis contrarium addiderit. Deinde Johannes Jesu adscensum non refert quidem, sed pro indubitato sumit & haud obscure indicat *w*), capp. III: 11—13; VI: 62; VII: 53; VIII: 14, 21; *x*) XIII: 36; XIV: 2, 3, 12, 23, 28; XVI: 5, 16, 28; XVII: 11—13; XX: 17; Apoc. I: 11—18; II: 8; cet. quæ loca simul docent rem a Salvatore fuisse prædictam, adeo ut respondens vaticinio eventus, duplicem historiæ fidem faciat *y*). Sed si ne hæc quidem loca, ad ascensionem Jesu respicere velles, nihil tamen ad fidem rei tollendam vel silentium Johannis valeret. Nam neque verbo nativitatem Jesu narrat; quis tamen sanus inde ullum fuisse Jesum natum negabit? Sic adfuit quoque is gloriosæ Christi in monte transfigurationis, ut disertis verbis legimus apud Matthæum, XVII: 1; Marc. IX: 2; Luc. IX: 28; & tamen etiam hoc ipse fillet. Nec institutionem sacræ cœnæ narrat, sed institutam uti rem omnibus notam memorat, e. gr. cap VI: 53, sqq; & s. p. Præteriens multa omnium æqualium notitiæ & memoriæ altius infixæ, in calce libri ipse dicit Johannes, se non omnia pertulisse, sed esse alia plurima a Jesu peracta, quæ si singula perferberentur, ne orbem quidem terrarum libros scriben-

B 2

dos

w) Conf: *Heinrichs* l. c. p. 296. *Liljenthal* l. c. p. 1478.

x) Haud temere plures interpretes quoque Joh. XII: 32 ad futurum Christi in cælos adscensum referunt, etsi Johannes ipse com. 33. *ὑψοῦσθαι ἐκ τῆς γῆς* de futuro mortis Christi genere interpretatus est.

y) Johannes sane Jesum ubique per totum suum Evangelium pingit, ut e cælo qui descenderit, ita illuc regresurum, Joh. I: 1—14, 51; III: 12, 13; V: 19, 26; VI: 38, 50, 51, 62; VIII: 23, 28, 29, 38, 40, 42, 49, 54 sqq. - - cet.

dos capere valiturum, c. XXI: 25. Adscensus præterea in innumeris fere N. T. locis, mentio fit, v. c. *Rom.* X: 6; *1 Cor.* XV: 25; *Eph.* I: 20—22; II: 6; IV: 9, 19; *Phil.* II: 9—11; III: 21; *Colosf.* III: 1; *1 Thesf.* IV: 14—18; *1 Timoth.* III: 16; *Hebr.* I: 3; VI: 19, 20; VII: 26; IX: 12, 24; XII: 2; cet. *Act.* II: 53; III: 21; X: 32, sqq. *1 Pet.* III: 22; cet.

Quod vero ad ipsum de quo jam agitur, divinum maximeque momenti factum attinet z), id omne, quia legibus repugnat corpus quoddam aëre gravius in cælum, h. e. supra aërem sponte abire, pro mytho, seu quod idem illis valet, pro fabula ficta aa) habent adversarii, & quæ de Sospitatore per-

z) "Solet quosdam offendere, quod credamus assumptum corpus terrenum in cælum, sed spiritale corpus intelligimus, quod ita spiritui subditum est, ut cælesti habitationi conveniat. — Ubi & quomodo sit in cælo corpus dominicum, curiosissimum & supervacaneum est quærerere, tantummodo in cælo esse credendum est." *Augustinus*, *Retract.* I: 17.

aa) Cælum supra nubes positum habebant omnes antiquitatis gentes deorum sedem; sic *Aristoteles*: Θεου οικησιον του κοσμου το ανω; & *Homerus*: Θεων seu αδανατων εδος, II. ε: 360, 367; partim quod plurima & asperis incultisque hominibus maximo inexplicabilia stupendaque phænomena, in quibus immediata quædam & effleax celsiorum superiorumque Entium vis semet exserere putabatur, in aëre accident, Deosque inde descendere frequenter, ut optima quævis hominibusque utilisima perficiant, reque perfecta, eodem redeant; e. gr. *Mosis* in *Gen.* XI: 5, 7; XVIII: 21, יְהוָה ירד ירחיך uti *Act.* VII: 33 κατεβην aut *Hom. Il.* α: 44 βη κατ' ολυμποιου καρηνων. *Gen.* XVII: 22; XXXV: 23, atque *Hom. Il.* ω: 468. Sic quoque *Pf.* II: 4; coll. CXXXIII: 1. Zeus apud *Homerum* sæpe dicitur αιθερα ναιων quod vetus Scholiastes explicat: ο τον υπαρ αερα οντα αιθερα κατοικων: *Herfidio* similiter Dii sunt οι ολυμπια δοματ' εχοντες unde *Europides* in *Jone* v. 870 cælum vocat Θεων εδος.

perhibentur, ejusdem esse indolis hallucinantur, ac quæ E-liæ, Henoch, Castori & Polluci, Romulo aliisque accidisse traduntur, monentque probe distinguenda esse ea, quæ revera evenerunt, ab eis, quæ evenisse cum credita tum tradita sunt; hacce ratiocinatione rem, quam tenella sua ratione capere non valent, tollere amantes, obliti, mythos istiusmodi & fabulas canæ esse antiquitatis & absconditorum eorum temporum, quibus res gestæ non nisi memoriæ plus minusve fidæ, tradebantur; inter quas nemo sane rerum Christianarum origines referre optabit, valebit, si quidem in illa eæ incidunt tempora, quibus ad summum culmen enixa erat humani generis doctrina, & quæcunque gerebantur, in tabulas publicas referebantur aut referri poterant.

Alii allegorice rem explicuerunt, putantes adscensu Jesu significari Eum iniqua & indigna sorte in terris defunctum, ob insignia de genere humano merita in meliorem translatum vitam, conditione beatissima a Deo condecoratum esse, hac sua ipsius mutata sorte universi generis humani non nisi per aspera ad astra ascendendi imaginem optime adumbrantem; cui tandem sententiæ lubentissime, fateor, calculum adjicerem album, nisi vererem, ne tota Jesu Christi historia, factorum, quæ naturæ leges excedant, plena, tota quanta allegoria evaderet, sicque tota Sospitatoris persona non nisi Idea poëtica efficta haberetur.

Alii rem commemoratam in factò quidem esse positam; sed in Act. I, varie exornatam e naturæ legibus omnino explicandam esse putant, sic fere: Jesum postquam discipulis in monte olivarum valedixerat, inter fulgura & tonitrua Act. I: 9, 10; altioremontis partem solum ascendisse & ab eorum confortio ac oculis se excepisse, nec ad eos rediisse; discipulis autem facillime, cum, ne post longissimam quidem expectationem, reducem viderent magistrum, in mentem venire po-

tuisse, ut eadem accidisse Jesu opinarentur, quæ contigisse putarunt Henoch, Eliæ; ipsumque sine morte in cœlum susceptum crederent, quandoquidem ille ut verus Messias morti non esset obnoxius *bb*).

At huic accedere sententiæ multis prohibemur causis, Numne qui maris æstuantis fluctus nutu & verbo compescuit, qui mortuis vitam restituit, qui suum ipsius corpus necatum & sepultum virtute sua vivum reddidit, hic idem in aërem extollere suum corpus non potuit? Aut valentne dicere hi nimis in historia evangelica philosophari cupientes, ubi terrarum postea commoratus fuerit Jesus? num tandem, & ubi, quoque modo diem obierit supremum? Christi, qui in monte olivarum supremum Apostolis vale dixit, corpus quo tandem locorum devenerit? An evanuerit penitus, an cadaveris instar putrefactum, in partes minutissimas resolutum & dissipatum? An credibile Pharisæos, perpetuos Jesu, dum his viveret in terris, adversarios & Sadducæos, acerrimos vitæ post fata futuræ obtrectatores, rumorem tam resurrectionis Jesu, quam ejusdem in cœlos adscensus diligentissima perscrutatione non investigasse, perquisivisse, & si ei quid vel doli vel falsi inuisset, nec ipsos comperisse, nec omnibus notum fecisse? Sed si horum quoque sollertem curiositatem fugere potuisset veritatis, seu potius fraudis detectio, — quod tamen prodigium par, ne dicam majus, quam omnia illa miracula, quorum ratione haud probabili suas plurimi dubitationes fundant — quibus,

bb) Mythicæ explicationi favent haud pauci nec infimi subsellii Theologi, e. gr. *Ammon*, Asc. J. C. in cœlum; *Gabler* in recens. progr. Seileriani in N. Theol. Journ. St. 10. p. 415 sqq, & *Ammoniani* ibid. 414 sq; *Paulus* l. c. p. 928; *Thiefs* Lucas Apost. Gesch. n. übersetzt. — Quem tamen eundem *Ammonem* haud bene sibi constantem deprehendimus in libro: Entw. e. wissensch. prakt. Theol. Gött. 1797 §. 156. p. 178, ubi ait. "Die Versuche die Entfernung Jesu natürlich zu erklären sind romanhafte Dichtung und keine Geschichte."

bus, inquam, præstigiis Discipulos, & eosdem nec fatuos, nec credulos, eo seduxisset Jesus, ut se Dei filium in cælos sublatum firmissime crederent, gravissime confirmarent? Nisi igitur res ut narratam legimus, vere gesta sit, sequitur, aut Jesum discipulos defraudasse, aut eos ipsos se decepisse, aut finxisse eos sua sponte rem & in suos usus convertisse. Illud autem & istud æque insulsum est credere atque hoc. Nam fuerunt Apostoli vanitate, cupiditate, adulatione liberi, quin immo ob veritatis studium exosi, neque opum vel honorum, vel otii vel bonorum quodam lucello, quo sæpius fides corrumperitur, allesti. Tantæ igitur veritatis, probitatis, sinceritatis viri num quid unanimi consensu fingere potuerunt? Quod si inter eos de fraude facienda conventum fuisset, num eadem in tanta sectarum religiosarum æmulatione & differentia detecta non fuisset *cc*).

Adeone impostorem, sit venia verbo, impie a nobis haud prolato, credas Servatorem, summum humani generis benefactorem, *Φιλανθρωπον* scil. *Θεον*, ut qui ne ullum quidem animi sensum impurum ferre potuit, sponte homines decepisse putes *dd*). Num deceptorem invenias, cui nullus fuerit finis, nisi homines emendandi, mansuetos & pios reddendi? Quam vero fidem veteratori habere possis? Cur si in una re, falsa, in altera, vera eundem protulisse censeas? Quis fraudatori quid acceptum debere velit? Annon semper timendum ne decipiamur?

cc) Confr: *Eusebii* Demonstr. LIII: 5.

dd) "Es würde mich immer unmöglich fallen, einen Menschen dessen Leben so heilig, dessen That so ausserordentlich, dessen Tod so feyerlich war für eine Betrüger zu erklären." *Döderlein*, Fragm. und Antifragm. I Th. p. 209. Confr: *de Wette*, l. c. Th. I; p. 148 sqq. Th. II: p. 105 sqq. *Eusebius* l. c. L. III. 3.

mur? Tota igitur religio Christi, si impostor fuisset, corruat, necesse est; jam vero eadem per bis fere mille sæculorum adtentata inimicis, nec eis quidem contemnendis, telis, immota mansit, puraque, & conaminibus hisce, ceu lydio lapide, probata est. Haud quidem minimum hinc duci veritatis ejus documentum, neminem morose negaturum speramus *ee*). Et præterea e commentariis Evangelistarum facile patet, nullum unquam fuisse virum doctrinæ sublimitate, morum innocentia, virtutis sanctitate Nazareno Jesu parem. Optimi enim & maximi hominum, suos tamen habent nævos, qui virtutis splendori maculas adspargunt, eosque esse non nisi homines docent. Hoc de omnibus Sanctis in S. Codice collaudatis in aprico est, valetque idem de maximis etiam quibusque ingeniis in orbe pagano enatis, quæ homines erudire voluerunt & emendare. In Salvatore vero nihil quod reprehenderet, invenire unquam potuit adversariorum malignitas: culmen enim perfectionis adtigit ille, Deo similis, naturaque præditus humana celsiore, quod hominum præstantissimi mirabundi tantum e longuiquo adspectant. Debuit vero hoc vel adspectabili Ejus in cælum elevatione demonstrari *ff*), ut effulgeret, quod in J. C. esset numinis ipsius plenum *απαύλασμα*. Teneamus igitur quod scrip-
ptores

ee) Procul absit ut hoc unicum habeam veritatis doctrinæ Christianæ, præstantiæque ejus documentum, utque iis contradicam, qui ex interna ejus pulchritudine, & vi victrice, persuasum sibi habeant, esse ejus originem altiolem, ejusque Auctorem inclytissimis & sapientissimis populorum humanique generis benefactoribus longe præstantiorem. Vix enim corde puro & sensu pulchri bonique vero principia veritatemque doctrinæ Christianæ consideraveris, nisi temet costum ad divinam Auctoris humanaque majorem sapientiam, bonitatem, virtutem profitendam & adorandam sentias.

ff) Virtus recludens immeritis mori

Cælum, negatâ tentat iter viâ:

Cætusque vulgares, & adam

Spernit humum fugiente pennâ. *Horat. Carm. L III: 2, 21.*

ptores sacri, fide dignissimi, tradiderunt, modum rei non ad curatius definientes, Jesum Christum corpore indutum ex hac vita terrestri in cœlestem abiisse, non moriendo, sed ratione prorsus extraordinaria, menti quidem humanæ non conceptibili, sed tali, ut discipulis firmissime persuaderetur, Servatorem ab eo inde tempore participem factum esse vitæ beatæ atque cœlestis, ideoque & ipsi, docendo atque agendo, animum magis magisque ad invisibilia converterent. Præterea adtendendum, totam historiam dogmaticæ plus quam historicæ indolis, factum minus experientiæ quam objectum fidei exponere gg).

Quod tandem ad finem adspectabilis J. C. in cœlum abitus adinet, necessarium eundem omnino fuisse patet, non solum ad falsas, quas Apostoli de Messia conceperant opiniones & expectationes, radicitus evellendas atque removendas, sed etiam ad felicem successum operis Messiani juvandum. Apostoli enim atque reliqui Servatoris assectæ ante publicam Ejus in cœlum receptionem, spem fovebant Eum forma visibili in terra semper mansurum & regno Davidico instaurato, Hierosolymis sedem suam fixurum esse. Superstitiosæ huic

C

opi

gg) Probe memores teneamus quæ de hac re monet Lutherus: "Es ist leichtlich gesagt und verstanden, dass der Herr ist gegen Himmel gefahren, und sitzet da zu rechten Hand Gottes. *Es ist aber ein todes Wort und Verstand, wenn es nicht mit dem Herzen gefasset wird.*" et paulo post: "Aber das kann die Vernunft nicht fassen, wie es zugehe. Darum ist es eine Artikel des Glaubens; da muss man die Augen zuthun, und *nicht der Vernunft folgen, sondern mit den Glauben fassen.* . . . Darum lass dein Dünken daheim und sage also: Das ist die Schrift und Gottes Wort, das ist unermasslich hoher denn alle Vernunft und alle Verstand. Darum nur davon getreten, und die Schrift gefasset, die von diesen Menschen schreibt, wie er zum Himmel gefahren ist, und zu der rechten Hand Gottes sitze und regiere." D:r Martin Luthers sämmtl. Werke herausgegeben von Walch. Halle 1742, Th. XI. p. 1272.

opinionem pertinaciter adeo inhærebant, ut ultimo adhuc vitæ Jesu terrestris die ipsum de hacce quærentem re, Act. I: 6. Hæc igitur vana spes mentibus Apostolorum eximenda erat. Cui fini nihil magis inservire potuit, quam visibilis Christi in cælum elevatio, qua convicti persvasissimum sibi haberent Apostoli, cæterique nominis ejus profesores illum vitæ æternæ restitutum, non amplius inter eos versari sed in propriam rediisse patriam; qua simul persuasionem fideque, animi eorum, vel invitati ab omnibus abstrahi debuerunt rebus caducis, quæ sensuum ope percipiuntur, atque sursum ad ea tolli, quæ oculis cerni nequeunt. Sin vero discipulos suos clandestino quodam modo reliquisset Jesus, quid inde accidisset? Incerti hærentes & dubii aures forsitan præbuisset aut impostoribus, aut superstitiosis hominibus, qui falsis eos decepturi fuissent narrationibus, fingentes forsitan se Jesum alicubi vidisse, illumque vel in hoc vel in alio loco latere. Ne in hos inciderent errores præcavendum ergo erat, idque per ascensum ejus visibilem optime tandem fieri debuit, ut ad opus Dei in terris periciendum confirmarentur, probe jam intelligentes, se non causam meri hominis, sed ipsius adeo Dei agere, qui perpetuo & ubique auxilium iis ferret, atque post fata regni & felicitatis suæ participes eos redderet.

Sic tota Jesu Historia, adnuntiatio, nativitas, vita, mors, resurrectio, in cælum sublatio, & ad extremum judicium adventus, quantam habet vim ad pectora hominum veneratione, amore, fide & spe movenda, persuadenda, mutanda! Ecce in tugurio natus, angelorum cælestibus choris celebratur filius mulieris atque - - Dei (*hh*)! Quæ imago dignitatis humanæ rite æssi-

hh) "Die obersten Engel beten den Menschgewordenen Sohn an. Ist also Jesus nicht Gott, ewiger Gott gewesen, so ist die christliche Religion die kühnste Abgötterey die es je gegeben." Herder Erläut. zum N. T. aus einer n. erschn. morgenl. Quelle 1775. Werke; Rel u Theol. Th. 8. P. 158.

æstimandæ! En summum populi & generis sui benefactorem; sanctissimum hominum e cruce pendentem, ei a manibus scelestis infixum, ludibrium plebis & plebeculæ, sævisimis afflictum doloribus, turpissima notatum ignominia, orantem tamen pro nobis, usque dum animam suam Deo traderat. Quantum exemplum virtutis, mala in terris forte vexatæ! Ecce, e sepulchro surgit triumphans, cadavere non post se relicto, ad cælum ascendit, qui terrestri damnatus erat superbia, inde reversurus ad omnes & vivos & mortuos judicandos! Quale documentum æternæ justitiæ fato harum rerum superstitis ii)! Quæ unquam fingi potuit historia, sensibus aptior, rationi probabilior, ad honestatem efficacior! Sed est res vere gesta! Est providentiæ divinæ ad homines salvandos consilium! Nos vero hoc contemnere! O hominum ingrata levitas!

Sed filum jam abrumpere cogimur. Satis forsan pro consilio & juvenilium virium modulo nostro hæcce funto. Lectores vero probe teneant, quæ biga Reformatorum, *Melanchton* & *Lutherus* monent; ille: "Etsi autem homines acuti multa hic inextricabilia colligunt, tamen nos, omisissis præstigiis disputationum, veram sententiam toto pectore amplectamur & teneamus judicia de ea tradita divinitus, etiamsi non possumus omnes argutias, qui opponuntur, extricare;" hic: "Hortamur omnes pias mentes, ne sua ratione in tantis mysteriis perferutandis curiosæ sint, sed potius cum Apostolis simpliciter credant, oculos rationis suæ claudant & intellectum suum in Christi obedientiam captivent."

ii) Αρετη δε και θανατος ουκ απολλυτο. Virtus post fata superstes.

